



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 60. Baccius Aldobrandinus Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII. Par fatum subiit hoc anno die de-
 A. C. 1664. cima sexta Augusti nonnisi triginta sex
 annos natus Carolus III. Mantuæ Dux,
 qui ex Isabella Clara Leopoldi V. Au-
 striæ Archiducis Filia hæredem reliquit
 Ferdinandum Carolum tredecennalem
 puerum. Denique die vigesima octava
 Septembris Monachii decessit Maria
 Anna Ferdinandi II. Cæsaris filia, &
 Maximiliani Bavarix Electoris Coniux,
 quæ nonnisi annos quinquaginta quin-
 que nata virtutibus, & prudentia *Jenæ*
Matrona nominabatur.

§. LX.

Baccius Aldobrandinus Cardinalis
mortuus.

Ciacon. in
vita Inno-
centii X.

Hoc item anno eadem mortis vestigia prefferat Baccius Aldobrandinus Nobilis Florentinus, qui in sua juventute a morum innocentia, naturæ lenitate, mentis candore, ac indole ad virtutem, & gloriam & dignitatem nata commendatus, literisque apprime excultus Innocentii X. Papæ gratiam sibi facile conciliabat, a quo etiam præter omnem expectationem Cardinalis, Vaticanæ Basilicæ Canonicus, ac demum Presbyter Cardinalis renuntiabatur: Obiit autem die vigesima

ma prima Januarii ætatis suæ anno Sæc. XVII.
 quinquagesimo secundo. A. C. 1665.

§. LXI.

*Balthasar Sandoval Cardinalis
 extrema.*

Hunc pari fato sequebatur Balthasar Sandoval Hispanus, qui in Salamanticensi Academia, Doctoratus laurea decoratus, Rectoris magnifici partes obibat, postea Ecclesiæ Toletanæ Decanus, Archidiaconus, & Regii Sacelli Minister, demum vero ad Philippici III. Hispaniarum Regis preces a Paulo V. Cardinalis nominabatur. Rexerat etiam Episcopus Giennensem & Jayensem Ecclesias, quibus cum uberrimo gregis sui proventu præfuit, habitaque Synodo ipse visitavit, ab omnibus passim Cleri exemplum, & Pater pauperum nominatus; hos enim quotidie convivas habuit, in morte hæredes instituit, & in vita in eos tam largas effudit eleemosynas, ut prodigii instar haberetur, tantis expensis censum suffecisse: Præferebat illius Palatium magis cænobium, quam Principis aulam: familiam quoque habebat universam ad totius honestatis leges compositam: ipse etiam morum integritate, rara in supremis dignitatibus mode-

*Ciaccon. in
 vita Paul. V.
 tom. 4.*